



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Figuræ, Symbola. Ex Vet. &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

aperiatur, vena ferrò compunctionis: ut peccati, et si non omnis sensus, saltè consensus, effluat, & abjiciatur. Idem in sententiis.

Ipsa voluntas propria, est herba diaboli venenosa, suggestione venenata; & omnibus eâ utentibus pestifera. S. Anselmus lib. de similitudinibus c. 38.

Solus Deus, quidquid vult, debet velle propriâ voluntate; ita ut aliam, quam sequatur, non habeat supra se. Cum ergo vult homo aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi suam coronam. Sicut enim corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo. Et sicut regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam, qui suam coronam ei auferret; sic homo inhonorat Deum, qui aufert ei propriâ voluntatis privilegium, habendo, quod ille debet habere solum. Sed sicut propria voluntas Dei fons est, & origo totius boni; ita propria voluntas hominis totius est exordium mali. Idem lib. de similit. c. 8.

Apud inferos, si quis propriâ mortuus esset voluntati, in liberrimam voluntatem Dei; is utique non auferet. Et in caelis si quis propriâ esset voluntatis, contra voluntatem Dei; is certe non beatus, sed miser, & infelix, foret. Bloisius Sacello animæ fidelis §. 5.

§. X.

Voluntas propria mortificanda, abneganda.

ECcredere de terra tua: Gen. 12. 1. Factum est in mysterium; quod omnino recedendum est à propria voluntate, & ab affectione suæ carnis, & suorum sensuum, qui vult perferri in divinis. S. Thom. Aqu. hic.

Abraham se aptat, ut litet filium Deo. Gen. 22. Similiter Jephthe Judic. 11. 31. 35. filiam suam. sed Deus isrlum ab Abrahamo renitentem cohibuit. Nil tale facit cum Jephthe; sed finit domum ejus tristi lamentatione replere. Jephthe fecit id, inconsultò Deò, Abraham ab eo justus. Felix ille, qui non propriâ voluntate, sed Dei imperiò, quodcumque opus aggreditur. Baeza t. 2. l. 6. c. 4. §. 1.

Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Matth. 16. 25. Perdit animam suam, secundum Christum, qui desideria ejus refranat, qui cupiditates ejus refecat, qui luxuriam ejus castigat; & in nullo prorsus facit voluntatem suam, sed voluntatem Dei. Origenes hom. 18. in Num.

Nullum sacrilegii crimen reperitur deterius, quam in voluntate semel oblato Deo reacipere potestatem: non debent sibi vivere, qui cor suum Deo dicarunt. S. Bernardus ep. ad quendam.

Non relinquit omnia, qui retinuit vel seipsum; imò verò nihil prodest, sine seipsò cœtera reliquisse: quandoquidem nullum aliud onus est gravius homini, quam homo ipse. Quis enim tyrannus crudelior, quæ favior potestas homini, quam hominis ipsius voluntas? B. Petrus Dam. l. de S. Benedicto.

Quid eis prodest, quod facultates suas abjiciunt, qui voluntates proprias non relinquunt: cum sit longè præstantius, voluntatibus propriis renuntiare, quam rebus. S. Prosper Aquit. de vita contempt. l. 2. c. 17.

In sacrificiis antiquorum animalia mactabantur; in sacrificiis Christianorum occiduntur propriâ voluntates. Sim. Cass. l. 13. c. 11.

TITULUS. XIX.

VOLUPTAS.

§. I.

*Figura, Symbola.**Ex Veteri, & Novo.*

Super pectus tuum gradieris Gen. 3. 14. Homo voluptuarius super ventrem ingreditur, serpens ad voluptates perfruendas. S. Nilus librò asceticò.

Nec quidquam mellis adolebitur in sacrificio Domino. Levit. 2. 11. Quid mel in Dei sacrificio non offertur, indicat: apud Deum nihil hujus Mundi, placere. S. Isidorus in Levit. 9. Idem ait V. Bedâ hic. Nusquam præceptum in Veteris Testamenti ceremoniis invenitur, ut mel sacrificiis miscetur. Per quod intelligitur: quia ijs, qui Deo vitæ suæ sacrificium offerunt, nullam carnalem Deus vult inesse dulcedinem: nihil in eis vivere, quod ad carnalem pertinet voluptatem. B. Petrus Dam. l. de S. Joanne. Mel sanè voluptatis indicium est, & suavitatis: semper enim voluptas mortificat; semper voluptas Deo non placet: quodcumque dulcedi-

nem habet, in Dei sacrificiis non offertur. S. Chrysost. hom. 2. in Marcum.

Mors in olla. 4. Reg. 4. 40. Mors est in olla deliciarum Mundi, quæ gulam, & Venerem provocant; ideoque varios morbos, ac mortem, præsentem, & æternam, accersunt. Cornelius hic.

Nè desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii. Prov. 23. 3. Discite, delicias, omnèsq; Mundi hujus voluptates, & pompas, non esse veraces, sed fallaces: mentiuntur se habere veritatem voluptatis; cum ejus inanem tantum contineant speciem, & umbram. Mox abeunt; & in dolore desinunt. Cornelius hic.

Sicut pisces capiuntur hamò &c. Ecclæ. 9. 12. Homines, qui fluctuans, & instabile, hujus vitæ pelagus sulcant, varias voluptatum illecebras consectantes, quasi carentes ratione pisciculi, malis retibus implicantur. Olympiodorus hic.

Musca

Musca morientes perdunt suavitatem unguenti. Ecclæ. 10. 1. Concupiscentia aptè comparatur muscæ: quia instar muscæ vilis est; exilis, mordax, immunda, importuna, improba, & putrida. Est brevis ævi: vivit enim paucos dies; imò subinde paucas horas: sequè in oleo, melle, aliisque re dulci, sufforatur; vel ad lucem lucernæ, aut candelæ, advocans adurit. Denique musca est in docilis, & indomabilis: sic concupiscentia. Cornelius hic.

Ova aspidem ruperunt. Isa. 59. 5. Ova aspidum sunt exterius alba, pulchra, & oculis grata; interius autem venenò plena. Sic Mundi deliciae &c. Stella in Luc. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Quasi clavis quibusdam suffigitur anima corporeis voluptatibus: & cum semel adhererit cupiditatibus demersa terrenis; difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei favore revolare. S. Ambr. 1. 4. c. 14. in Luc. 4. in fine.

Quomodo qui scribunt in aqua manu quidem efficiunt Scripturam, typos characterum describentes in humido; ex characteribus autem nihil manet in figura; sed scribendi opera est tantum, dum scribitur; manum enim semper sequitur equæ superficies: ita & omne studium, & operatio, quæ ponitur in fruenda voluptate, apparet in iis, quæ fiunt. S. Gregor. Nyss. hom. 4. in Ecclesiasten.

Quemadmodum arbores, quæ sub umbraculis crescunt, & in locis ventorum expertibus sitæ sunt; cum ipsa specie prosperè germinent, molles fiunt, atque fungosæ; & facile quòvis incurfu læduntur: quæ verò excelsis in montium verticibus sitæ sunt, à multis, magnisque, ventis agitantur; intemperiem aeris assidue ferunt; multà nive feriuntur, ferrò quòvis robustiores evadunt. Pari ratione corpora, quæ multis, ac variis in deliciis educantur; quæ mollioribus indumentis ornantur, quæ continuis balneis, & unguentis, utuntur, & diversi generis alimentis, præter, necessarium usum, delicate fruuntur; profus ad sudores, laboresque proprietate sustinendos, inutilia redduntur. S. Chrysost. tom. 6. Orat. in illud: gloriamur in tribulationibus. Rom. 5. 3.

Cani similis est Voluptas: si pulsas, fugit: si nutrias, permanet. Idem hom. 22. ad pop. Antioch.

Voluptas diaboli est hamus, ad perniciem deducens. S. Basilii exhort. ad Baptismum.

Væ delicias sectanti: tempore enim exiguo tanquam vitulus ad maculationem paratur. S. Nilus Abb. Cap. Parænet.

Sedere accipitur in Scriptura pro ignavam esse, & voluptatibus deditum. Ignavam locus ille significat: *sedentes in tenebris, & umbra mortis.* Ps. 106. 10. Idem lib. alcer.

Bibere delicias huius Mundi, est bibere de forte mortis. S. Vinc. Ferr. l. 2. in die S. Paschæ.

Non sine causâ Veteres sapientes finxerunt; solem pasci aquis amaris, lunam verò dulcibus: quia iustus amara querit, afflictionibus delectatur; stultus verò voluptates, & dulciâ, appetit. Diez Patientia.

Poljanichen Sacra. Tom. II.

§. II.

Voluptatem spernendi, vitandi, motiva.

Num. 1.

Christus, ejus Incarnatio, Passio &c.

Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? Jerem. 31. 22. Motivum subdit: *Famina circumdabit virum.* q. d. dum Dei Filius in virgineo utero clauditur, deliciis vacare nemo debet. Incertò Auth.

JESUS ductus est in desertum. Matth. 4. 1. Meritò D. N. J. C. jejuniò suò, atque desertò, adversus voluptatum informat illecebras & tentari se à diabolo Dominus omnium patitur; ut in illo omnes vincere disceremus. S. Ambros. in Luc. 4. Proem.

Abiit foras extra civitatem in Bethaniam &c. Matth. 21. 17. 18. Ut offenderet Christus despiciendas esse delicias; cum in manè cum tante gloria susceptus fuisset; ac per totam diem in prædicatione, & in aliis bonis operibus laborasset: cum jam vespera esset, exiit in Bethaniam cum Duodecim. Nec invenit Jerosolymis, qui sibi guttam aquæ offerret. Propterea, ut proditorem ostenderet esse Mundum in deliciis suis; ut sic dicam, Mundi delicias fastus, & famelicus, aufugit: & sic suò exemplò delicias contemnendas esse ostendit. S. Bernardinus l. 50. art. 1.

Nolite flere &c. Luc. 23. 28. q. d. super filium Crucis non est flendum; sed super delicatos, qui non bajulant crucem. Hugo Card. in Gen. 21.

Contemplaris, ô homo! immaculatissimum Dominum in Cruce suspensum; audesque, ô impudens, & infelix, homo! in deliciis, ac risu, universum vitæ tuæ tempus in terris transigere? S. Ephrem. l. de Pass. Salvatoris.

Nihil potius voluptuosos à carnalibus refrænât desideris; quam cum audiunt, sive recolunt; quòd Dominus gloriæ pro eis incarnari, & pati, designatus ost. V. Beda l. 4. in Cant. 4.

Passio Domini celebratur; & nos voluptati operam damus? &c. Drogo ost. de Sacr. Dom. Pass.

S. Palamon anach. cum in Paschate accederet ad mensam, videssetque olei apparatus cum sale; fricans manibus frontem, & ubertim flens, ait: Dominus meus crucifixus est: & ego nunc oleum comedam? Bollandus 11. Jan.

Num. 2.

Voluptates non deceni Christianum.

Hortus conclusus. Cant. 4. 12. Sunt deliciae Paganorum, & Infidelium; sed non conclusæ: sunt deliciae peccatorum; sed non conclusæ: sunt verorum Christianorum; sed conclusæ. Hortus conclusus, est paradisus Ecclesiæ; vagari non licet. Deliciæ Christianorum debitos fines habent, certis limitibus concluduntur. Incursumus demonum pateat; qui non stat in horto concluso. Sim. Cas. l. 13. c. 8.

Yyy yy

Nihil